Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars I.
Wien, 1793 Seite 131
Quelle:
Copyright:

expositione me Lexica destituunt. Legitur praeterea *fol.* 17. p. 1. *Ascensio domini hodie. VI. N. maii. Anno domini* m*lXXVIIII. mariani miseri domine miserere.* Meminit Codicis hujus egregii *Lambecius* T. II. p. 749. edit. *Kollar. col.* 526. qui tamen *Notas* marginum, quae, ut dictum est, locis PP. constant, pro ipsius *Mariani* foetu habuisse videtur.

LIX. VIII. E. 4.

353 Codex membraneus lat. Sec. XII. Folior. 105. f. propter glossas marginum et interlineares columna angusta, lineisque laxis nitide exaratus, rubricisque distinctus continet omnes *D. Pauli Epistolas*, quarum prima inscribitur: *Incipit Epistola Beati Pauli Apostoli Ad Romanos.* Praeit illam breve quoddam argumentum hoc initio: *Quamvis in Euangelio et correptio morum et uitę humanę doctrina contineatur* &c. Textus Epistolarum sat emendatus, Glossae partim ex ordinaria *Walafridi Strabi*, partim ex interlineari *Anselmi Laudun.* depromtae sunt. Illud peculiare, quod soli *Epistolae II. ad Corinthios*, et *Epistolae ad Galatas* Summaria exacta praefixa sint, quae utrobique *Tituli* inscribuntur. Inter *Epist. ad Philemonem* et *ad Hebraeos* tria inseruntur Segmenta. Primum est C. V. sive *Vita D. Pauli* e *Catal. Illustr. Viror Hieronymi.* Alterum e *Libro Hermetis* (Hermae) *Pastoris Mandato* IIII. de Conjugibus adulteris. Tertium de Genealogia *B. Mariae*, quod incipit: *Anna et esmeria fuerunt sorores* &c.

LX. VIII. E. 11.

Codex membraneus lat. Sec. 360
XIII. Folior. 40. f. minutius sed sat nitide perscriptus, rubricisque distinctus continet *D. Pauli Apostoli Epistolas* ex interpretatione vulgata, eo ordine, quo in Editis habentur. Adspersae sunt cum in marginibus, tum inter lineas *Notulae*, quae nec ex *Anselmi Laud.* nec ex *Walafridi Strabi Glossa* provenere, versus medium decrescunt, versusque finem rursus copiosiores evadunt. Exemplo sit, quod ad v. *vocatus* statim in limine *Epist. ad Rom.* notatur: *Vocatio fit multis modis. aliquando per solam predicationem. aliquando per grauissimam infirmitatem uel aduersitatem. aliquando per miracula euidentia. aliquando per occultam inspirationem* &c.

Fuit Codex hic olim *monasterij sancte crucis in lympurgh inter spiram et Wormaciam ciuitates preclaras*, quod Abbatem celebrem habuit *Rupertum*, cujus quaedam dedimus inter *Homiletica.*

Asserculo posteriori adglutinatae sunt *Literae Philippi Episcopi Albanensis*, quibus *Friderico de Rudesheym Maguntin. dioc.* Uxorique et Liberis conceditur electio Confessarii ad Quinquennium in ordine ad absolutionem exceptis Casibus Sedi Apostolicae reservatis, et Votorum commutationem ex-